


# PALAESTRA LATINA



ANN. XXIV · N. 148

MM. NOVEMBRI et DECEMBRI

AN. D. MCMLIV

[www.culturaclasica.com](http://www.culturaclasica.com)

# SUMMARIUM

Curiosa et Jocosae  
 Ciceroniana  
 Virgini Mariae a Carmelo  
 Nova et Vetera  
 Commercium epistulare  
 Per Orbem  
 Nox  
 Bibliographia  
 Index rerum atque scriptorum

Orth  
 Patricius  
 González  
 Sansegundo · Holzer  
 Pacitti  
 Mangeot  
 Sidera, Molina, Aramenda, Aspa, Garcia

## Curiosa et Jocosae

—MAGISTRA, aetate provecata, grammaticam docet et alumnas interrogat: «Quale tempus est hoc: *pulcra sum*?»

—DISCIPULA, callide et submissa voce: «Praeteritum».

—Bibulus cum filio cauponam ingreditur et vini lagoenam unam mensae apponi jubet. «Pater mi, interrogat filius, tu vinum non bibis?»

—Philosophus quidam rogatus ubi Deus esset, respondit: «Dic mihi ubi non sit»

—PATER: «Salve, magister, discitne recte litteras filius meus?» —MAGISTER: «Tunc vivis? Filius tuus heri a me postulavit ut ad funera tua abire liceret».

—Duo alumni inter se colloquuntur: «Cur feriae Nataliciae Domini breviores sunt quam feriae aestivae?» —«Fortasse

quia frigus, ut physici dicunt, omnia contrahit».

—Custos duo pueros in malo sedentes conspicit eosque objurgat: «Quid hic facitis improbi in summa arbore?» —Pueri conturbati: «Mala vieta et putrida, quae deciderant, quaerimus».

In quodam certamine: —FILIUS. «Cur hi homines, pater, currunt?» —PATER: «Currunt et certant de calice argenteo». —FILIUS: «Et quis accipiet». —PATER: «Primus». —FILIUS: «Primus? Cur igitur ceteri quoque currunt?»

—Puer, qui nuper furatus erat, a militibus tenetur et in carcerem ducitur. Improbo puero in via occurrit amicus: «Quo vadis, amice?» —Et puer jocosae: «Venatum». At ubi sclopetum seu manuballista? —Qui monstrans custodes dicit: «Comites ferunt post me».

Ad saltum

FU	MO	RIS	NO
RO	VI	SI	TO
RE	E	MA	RO
MAE		VI	

DUL	MO	CO	PRO
RUM	PA	CE	A
RI	MO	EST	DE
ET		TRI	

Pueri, si recte legitis, in his loculis duas reperietis locutiones apud scriptores maxime frequentatas.

# PALAESTRA LATINA

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus.

Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

## Ciceroniana

In *Tusculanis* III 10, 21 et V 9, 25 agitur de Theophrasti libro qui «Callisthenes» ἡ περὶ πένθους inscribitur (cf. *DIOGENES LAERTIUS* V 44); cujus duo tantum fragmenta penitus inspiciendo nonnullae cognitiones novae percipi possunt. Cicero *Tusc.* III, 10, 21 ita loquitur: «qui dolet rebus alicujus adversis, idem alicujus etiam secundis dolet, ut Theophrastus interitum deplorans Callisthenis sodalis sui, rebus Alexandri prosperis angitur; itaque dicit Callisthenem incidisse in hominem summa potentia summaque fortuna, sed ignarum quem ad modum rebus secundis uti conveniret». In iisdem *Tusculanis* V 9, 25 hoc modo Tullius Theophrasti opusculum ipsum commemorat: «vexatur idem Theophrastus et libris et scholis omnium philosophorum, quod in «Callisthene» suo laudavit illam sententiam: «vitam regit fortuna, non sapientia; negant ab ullo philosopho quicquam dictum esse languidius; recte id quidem; sed nihil intellego dici potuisse constantius» (cf. I. STROUX: *Die stoische Beurteilung Alexanders des Grossen. Philologus* 88 (1933) 229-230, ubi alius etiam locus libelli Theophrasti affertur ex epistula ad Atticum XIII, 28. 3: «quid? tu non vides illum Aristotelis discipulum (=Alexandrum) summo ingenio, summa modestia, posteaquam rex appellatus sit, superbum crudelem immoderatum fuisse?»).

Jam ex inscriptione patet inter Theophrasti libellum de Callisthene et librum Callisthenis de *Hermia* similitudinem quandam intercedere, unde clarius dispositio et finis utriusque operis possit perspici; ut enim Callisthenes magis rerum scriptor vitam *Hermiae* principis *Atarnei* anno 341 occisi gestas obitumque magnificum descripsit, ita Theophrastus magis philosophus memoriam Callisthenis collegae *Peripatetici Aristotelisque* anno 327 occisi celebravit.

De duobus deinde momentis in libello Theophrasti quaeritur: de fortuna et de sapientia; sub figura *Fortunae* (τύχη) Alexander Magnus, rex Macedonum, agens inducitur, cui contrarius Callisthenes sub persona *Sapientiae* (σοφία) opponitur. Theophrastus libro suo secundariam inscriptionem ἡ περὶ πένθους (=seu de maerore) adjunxit ut sententiam gravissimam tristemque

exitum laborum ac sortis indignissimae Callisthenis praeclare indicaret. Fortasse jam Callisthenes olim ipse scriptum de Hermia pari ratione inscriptione altera ἡ περὶ πένθους ornaverat, ut denique utraque opuscula duorum Peripateticorum aequalium amicorumque eadem fere dispositione sententiarum atque ad eundem finem et eodem prope orationis genere scripta essent. Hujus ergo Theophrastei operis propositum hocce fuisse videtur: Injustitia Alexandri Magni accusabatur, regi immanis superbia et crudelitas dabatur crimini, quia Callisthenem virum doctissimum ut bestiam in curru simul cum beluis imposuerat eumque omnibus hominibus spectaculo et ignominiae prodiderat ac turpissimo et taeterrimo pacto perire jusserat. Alexander typus hominis fortunati videbatur qui divitiis et victoriis superbus factus tyrannus intolerabilis evasit omnemque justitiam violavit. Alexander tamquam instrumentum et flagellum Fortunae existit et in Callisthenem saevivit, ut si in persona Callisthenis etiam Aristotelem ejus avunculum praeceptoremque propriae juventutis ulciscens castigare vellet atque necare; ille rex Macedonum non erat talis princeps qualem Plato quondam simul regnantem et una philosophantem postulaverat, Alexander vero longissime a philosophi moribus aberat; regnum Alexandri ipsiusque vita e subita fortunae magnitudine occasionibusque prosperis tantopere inflata atque adaucta sunt, ut Fortuna ipsa velut tyrannis etiam contra Alexandrum regnare videretur. Alexander a Theophrasto multis verbis typus moralis videtur descriptus esse, qui quamvis bene eruditus primo et omnibus principi aptissimis praeceptis exemplisque institutus tamen postea longe alio hominum rerumque ambitu circumdatus rebusque prorsus insolitis obrutus cunctam fere prudentiam temperantiamque amittens homo incertissimus ac periculo generi humano fieret; inconstantiae Fortunae succumbens neque jam sui ipsius neque imperii orbis terrarum compos tyrannus quasi caecus factus principis sapientiae maledicebat et multa injuste faciebat, ut postremo non virtutum, sed vitiorum exemplum moreretur. Alexandri mores non ad «characteres» Theophrasti ethicos convenissent, immo in aliam descriptionum animorum collectionem, quae vel hoc modo inscribenda erat πολιτικοὶ χαρακτήρες! Alexandri enim vita duas in partes dividi potest; in priore juventutis parte princeps praeceptis doctrinisque Aristotelis probe utebatur ejusque auctoritate gravitateque mores atque ingenium adolescentis reguli feliciter excolebantur, cum ad regnum suscipiendum praepararetur; posteriore contra tempore disciplinae Aristotelicae immemor multo minus vitia effugiebat et inhonesto modo vivendi absorbebatur.

**Callisthenes** autem, ut jure opinor, in Theophrasti libro summopere honestabatur, quoniam more viri vere sapientis ignominias injuriasque tranquille patiebatur neque quidquam contra dignitatem philosophiae agebat; cum libertate dicendi clarus haberetur, solummodo veritati serviebat neque gloriam sibi comparare studebat. Studio magno affectus erat res Graecorum gestas et gerendas cognoscendi, quapropter expeditioni Alexandri Magni con-

tra Persas interesse cupiebat; ingenio multo majore praeditus quam Alexander regi invidiae erat, cujus odio perire cogebatur; praeterea inter Callisthenem et Alexandrum Magnum permultum intererat; nam Alexander vitae «practicae» operam dabat, Callisthenes autem vitae magis contemplativae propensissimus erat, ubi scientia atque sapientia praevalent.

**Aristotelem** in hoc Theophrasti libro collaudatum esse pro certo habeo propterea quod ille magister et Callisthenis et Alexandri fuit et quod hi duo juvenes diversae quidem aetatis unius tamen praeceptoris simul discipuli erant; discipulus autem regius discipulum indole litterisque superiorem in Asia crudeliter interfecit. Aristoteles actor tragicus et mutus in hoc certamine esse debebat, quia philosophus erat et a regis Macedonum rebus «politicis» stabat; Stagiritae Alexandri crudelitibus stupefactus dolores de Callisthene mortuo studiis continuis diligentibusque sedabat; at in Euboea insula Alexandro extincto Aristoteles Theophrasto suadere poterat, ut Callisthenis honorem restitueret utque scholae Peripati gloriam verae philosophiae tribueret; Theophrastus enim Callisthenem bene cognoverat et ab Aristotele multas res de vita librisque Callisthenis acceperat; ut memoriam infelicis scriptoris dignissime et nobilissime conscriberet, unde facile est concludere Theophrasti librum de Callisthene etiam nonnulla facta et dicta Aristotelis ipsius continuisse et omnino historiam quandam sectae Aristotelicae ab Alexandro rege Macedonum usque ad Aristotelis obitum breviter enarravisse.

**Theophrastus** denique in isto opusculo philosophiam quoque moralem tradidisse videtur, quae ad viros «politicos» spectabat; praeterea vehementer Alexandrum jam mortuum aggressus ejus dominationem Athenarum improbat; hoc pacto animos Atheniensium pacare et cum schola Peripatetica conciliare poterat; quo modo contigit ut Theophrastus, qui non erat Macedo, bona scholae et libros et instrumenta «scientifica» recuperaret ac denuo institutum philosophandi Peripateticum restitueret, quoniam Theophrastus ipse ultro vir tranquillissimus et temperantissimus rebus «politicis» se abstinerebat. Ex dictis effici potest Theophrasti librum de Callisthene annis 322 et 321 compositum esse; nam Alexander jam e vita decesserat ejusque maximum imperium in multa regna minora dilapsum erat, unde nihil periculi Atheniensibus neque Theophrasto impenderet. Athenienses autem Theophrasto favebant et Peripatum tolerabant. Idem Theophrastus haud scio an gratus fuerit quod ne ipse quidem cum Alexandro Magno in Asiam contra Persas profectus erat; alioquin etiam ipse Theophrastus aliquando licentia et intemperantia regis casu inopinato de medio sublatus esset.

Theophrasti liber de Callisthene tam doctrina morali quam historia philosophiae Peripateticae multum antiquis temporibus valuit; nam Cicero affirmat illum librum in omnibus scholis omnium philosophorum tractatum et vituperatum esse. Theophrastus quidem hoc assecutus est ut Callisthenis honor restitueretur, Alexander vulgari hominum judicio capitis damnaretur, Aristote-

telis schola perpetua continuaretur. Ejusdem libelli Theophrastei de Callisthene alia quoque fragmenta in Ciceronis scriptis philosophicis licet investigari, ut equidem suspicor.

EMIL ORTH

## Virgini Mariae de Carmelo<sup>(1)</sup>

(Carmen servitutis «Mariaeformis»)

[*Sic, Regina Maria!, Pello nos protegis Albo;  
Sic violas spargis cum uberibusque rosis:*]  
*Ut solet implexos aether diffundere nimbos,  
Et virides platant tingere rore comas.*  
*En, trahor allectus generoso nomine Matris;  
Ne fugtam, dulcis vincula cingit Amor:*  
*Qualis echeneidos curvam complexa carinam  
Ungula, sub mediis arcet avara vadis.*  
*Ergo, cupidinea victus cado lege tropaeum:  
Captivus Matris scribor in ore notis,  
Ut dicant gentes gelido calidove sub axe:  
«Iste fuit victus; bellica praeda fuit!».—*  
*Quidni?, festinat nostro Te insculpere cordi,  
Alma Parens!, hujus callidus artis amor!—*  
*Suave Tibi nomen, Mater!: Te dulce levamen,  
Te cuncti auxilium, subsidiumque vocant.*  
*Tu Magni Eliae sublimia tecta decorans,  
Agmina Carmeli protegis atque regis.*  
*Tu Carmelitas populos ripasque feraces  
Nominis trroras imbre salutifero.—*  
*Haec sunt captivi cordis theoremata<sup>(2)</sup> signa:  
Me ista tuum dicant, Mater, et ista canant.—*

Valderas, in Collegio Teresiano, Pridie Kal. Majas, a. MCMLIV.

Exscripsit FR. PATRICIUS A S. TERESIA A PUERO JESU, O. C. D.

---

(1) Carmen —quod in sacra aede Virgini Mariae dicata fuerat a P. Fr. Otilio a Puero Jesu, O. C. D. repertum — mendis expurgavit, titulis ac duobus prioribus versibus P. Fr. Patricius a S. Teresia a Puero J. ornavit.

(2) *thëdremata* pro *thëdremata*.

# Nova et Vetera

## BARBA



1. Et quaedam placet hodie de barba ejusdemque variis rationibus, atque de aliis ad rem plus minus pertinentibus, cursim dicere; omnibus enim in vocabularii provinciis versari cultores Latinitatis oportere equidem reor. Atque ideo alumnorum notitia rerum, cum plenior tum distinctior erit. In adjuncta, ipse quod vides, tabula picta omnes fere barbarum ornandarum usus oculis commode proponuntur; sed forsitan haud ita facilis cognitio rationis rem vocabulis exprimendi.

More autem meo, Hispanicum nomen proferam, cui ratio parior latine dicendi adjungetur, quin contrariam tamen magistrorum sententiam parvi faciam. Hac in re, ut mei est iudicii, novae longe multo veteribus rebus antecedant!

- |   |                                      |    |  |
|---|--------------------------------------|----|--|
| 1 | <i>Barbilla</i> , Barbula            | 7  | <i>Lucbana</i> , Barba reducta                 |
| 2 | <i>Barba cerrada</i> , Barba clausa  | 8  | <i>Barba de abanico</i> , Barba flabelli       |
| 3 | <i>Barba partida</i> , Barba partita | 9  | <i>Bigote</i> , Myſtax                         |
| 4 | <i>Mosca</i> , Musca                 | 10 | <i>Perilla</i> , Peniculum                     |
| 5 | <i>Patillas</i> , Barba supera       | 11 | <i>Patilla de boca de bacba</i> , Barba asciae |
| 6 | <i>Sotabarba</i> , Barba infera      |    |  |

2. Barba pili sunt in facie, et praecipue in mento hominis; de brutis tamen animalibus aliquando dicitur; voxque «barba» virorum non nullorum cognomen apud Romanos est. In pristinarum gentium usu maximi honoris signum barba haberi solet. Sicque, apud Juvenalem (16, 31), aliquis dicitur dignus esse barba et capillis majorum, qui probis est moribus et antiquis. Antiquiores namque homines, qui castigatissimis moribus fuisse dicuntur, neque barbam, neque capillum tonde- re consueverant.

Primi autem tonsores in Italia fuisse dicuntur post annum, a. U. C., CCCCLIV (PLIN., *Hist. Nat.*, 7, 59, 211): «Sequens gentium consensus in tonsoribus fuit, sed Romanis tardior. In Italiam ex Sicilia venire post Romam conditam anno CCCCLIII adducente P. Titinio Mena, ut auctor est Varro; antea intonsi fuere. Primus omnium radi cottidie instituit Africanus sequens; Divus Augustus cultris semper usus est».

Indeque mos facile inductus, viri ut raderent, adolescentes vero alerent barbam. Ceterum primam barbam Romani, ubi primum totonderant, diis lautius consecrare amabant. Quod quidem circa vicesimum secundum aetatis annum fiebat; comam vero, aliquot annis ante id temporis detondere atque itidem diis dicare mos fuit. Atque erat dies ille sollemnis ac laetus, qui, coacto consanguineorum affiniumque coetu, conviviiis missisque ultro citroque muneribus, tanquam alter natalis dies, ducebatur. Videbantur enim quodam modo pueritiam exuere, atque virilem ad statum transire.

Aurea Romani barba ornare solebant deorum statuas, quos maximo opere volebant colere; ea enim re admodum iis gratificari credebant. Hincque in Latinae linguae usum venit vox illa: «Barbam auream habere», quae idem prorsus significat, atque «Deum esse».

Barba et pallium, historia teste, ut insignia philosophorum, praesertim verol Stoicorum, fuere. Quibus se commendare populo et verendos reddere studebant, vultu ipso habituque morum severitatem atque gravitatem prae se ferentes. Ita apud Horatium legitur: «Barbam sapientem pascere»; estque Tullii Ciceronis haec locutio: «Barba tenuis philosophus». Hinc de quodam, qui se philosophum ementiebatur, dictum: «Video barbam et pallium; philosophum nondum video».

Sic ad rem se habet Gellius (9, 2): «Ad Herodem Atticum, consularem virum, ingenioque amoeno et Graeca facundia celebrem, adiit, nobis praesentibus, palliatus quispiam et crinitus barbaque prope ad pubem usque porrecta, ac petit aes sibi dari εις ἄπτους. Tum Herodes interrogat, quisnam esset. Atque ille, vultu sonituque vocis objurgatorio, philosophum se esse dicit, et mirari quoque addit cur quaerendum putasset quod videret. «Video, inquit Herodes, barbam et pallium, philosophum nondum video».

3. Quo facilius uberiusque sermonem de re instituere, curiose lector, possis, memoriae mandare cura, sis, istam brevem phraseologiam:

Promittere crinem, barbam: *dejar crecer la cabellera, la barba*

Passis crinibus: *los cabellos flotantes*

Capilli horrent: *encrespanse los cabellos*

Capilli compti, compositi: *cabellos peinados*

Capilli horridi: *cabellos despeinados*

Crines solvere: *soltar la cabellera*

Barba prolixa: *barba larga*

Barba inculta: *barba descuidada*

Barbatulus: *con un poco de barba*



Imberbis: *sin barba o imberbe*

Barbam alicui vellere: *burlarse de uno*

Barbam plenam habere: *estar en lo mejor de la edad*

Dignus barba majorum: *hombre de costumbres antiquas*

Barbam abradere, facere, ponere, recidere, tondere, radere: *afeitarse, bacerse la barba*

Barbam demittere, promittere, submittere: *dejarse crecer la barba*

Capillum comere, ornare, ferro torquere, tondere, alere, crispere, frangere: *rizar el cabello*

Discrimen capillorum: *crencha*

Lanugo, inis: *barba que empieza a despuntar*

Primae lanuginis anni: *la tierna juventud*

4. Tonsor vero, praeteritis quidem temporibus, et infirmos seu male habentes quandoque scarificare, affixis seu admotis cucurbitulis vel sanguisugis, idque ope flammae, solebat. Hoc tunc fere temporis auxilium adversae valetudinis! Scarificati autem ii dicuntur, quibus scarificatio facta: et scarificator, scissa infirmi cute scalpello, sanguinem pravosque humores detrahit.

At tonsoris proprium munus est barbam comasque adornare, eas cum in tonsorina forcipe aut forcicula apte detondet. Qui radit etiam vel rasiat novacula seu cultro tonsorio ad cutem usque. Id tonsor multiplici quidem forma peragere consuevit. Aliis enim circa extrema labra superiora solummodo mystacem; aliis infra labrum inferius peniculum relinquit; aliis vero ita barbam, ut unam barbulam retineat, demit.

His contra in acumen; illis in orbem aut in latus tondet. Quibusdam quoque clientibus volsella pili eradicantur, aut deglabratoriis certis medicamentis extinguuntur. Olimque pice resinave, quod nostris maxime abhorreat moribus, extirpabantur. O tempora, o mores!

Capillitium vel crinem tonsor praecisurus, illum accurate petit; tum displicat; denique attondet; aut strictius pressiusque, aut leviori manu et per pedinem. Numquam tamen rem inaequaliter, ne inaequalis tonsor audiat aut velicator, perficit.

Atque aliis aptat pendulas a fronte capronas; aliis, resectis solis capillorum oris, aequat in circuitu comam: aliis tandem cincinnos crispat, ustulat, vibrat in gradusque frangit calamiistro. Sedulam iis omnibus cum operam dat tonsor, clientis manet injectum umeris involucrem seu linteum tonsorium, ne resegmina pilorum inquinent. Calvis denique aptatur a tonsore capillamentum suppositicium, calicendrum, aut galericulum, pro eorum sententia ac placito.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

# Commercium epistulare

*Leo Maria Sansegundo Josepho Holzer s. d.*

S. V. G. V. Quae de «Pediludio» in PALAESTRA LATINA proxime disputaveris, multis de causis tibi gratulor; primum, quod in tantis rerum occupationibus, quin etiam morbo in quo nunc ipse versaris, tantopere bonarum artium studiis incumbas; deinde, quod tam eleganter de rebus sat difficilibus atque novis disserueris, adeo ut ingenium nobis sese tuum ostendat; deinde quod nonnulla a me quidem neglecta de ejusmodi ludo explananda susceperis; postremo autem, quod nostra nulla tua censura notaveris quod mihi multo jucundissimum. Sed fecisti tu quidem benevole. Alioqui, unum tantum doleo, quod hoc argumentum aggressus, praeque te veniens, obex tibi, ut ita dixerim, fui, quominus tu primum tua proferre ac «priore loco causam dicere» posses. Spero autem fore, ut quae in «Gymnasio» hac idem de re scripsi, nempe «Copia rerum verborumque de Pediludio», tibi arrideant. Nam partem alteram PALAESTRAE LATINAE tantum adjeci, alteram in illum Commentarium collaturus. Lege, sodes, et adde tu quantum voles. Ast non omnia proprio, ut dicunt, Marte confeci, sed nonnulla debui R. P. Josepho M. Mir, ita ut meliora quae dixi ei tribuenda videantur. Quae palam facere etiam volui.

Sed ad rem jam propius accedo. Sententiam illam «el equipo A gana por cinco goles a cero» —quam ego in aliis rebus occupatus reliqui— vertendam censes «quinque punctis comparatis ad zero». Cui nihil objiciam. Immo mihi placet omnino. Sed ea est Latinae linguae vis et ratio, ut una eademque sententia pluribus modis iisque elegantissimis, proferri queat. Prout nunc se res habet, mihi veniunt in mentem haec: *Manipulus Barcinonensis Matritensem quinque punctis, uno adversante, profligavit. Vel nullo adversante («a cero»)*. Vel si mavis: *quinque portis ex adverso quattuor victoria stetit («por 5 a 4»)*. Vel omnino: *quinque prae quattuor vicit*. Haec ultima maxime juvat. Neque enim longo verborum anfractu, sed oppido presse breviterque haec dicenda videbantur.

Reliqua omnia mihi probantur.

Ceterum, si quid posthac erit in quo mea tibi opera opus sit, a me omnia exspecta amici hominis officia. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale in Christo plurimum. Dabam Montisserrati, kal. martiis, a MCMLIV.

*Leoni Mariae Sansegundo Josephus Holzer s. pl.*

Quod nunquam —ne in somno quidem— putaveram, revera id factum est: epistolam accepi e Monte Serrato, quo e monte Vilhelmus de Humboldt restaurator ille gymnasii, quo adulescentes ad humanitatem informari solent, sibi aditum patuisse ad nationis Hispanicae naturam atque indolem professus est penitus cognoscendam. Et si non idem in litteris legendis animo percipi,

quod Humboldtius expertus est in summo stans fastigio Montis Serrati oculosque circumferens in regionem subjectam hominesque videns ad divam Matrem confugientes, tamen sincero affectus sum per tuam epistolam gaudio. Id unum te oro ut mihi ignoscas, quod responsio te justo diutius remorata est. Cujus rei causa in eo sita est, quod librum, quem A. Chetry e Soc. Jesu de pediludio in juventutis et litterarum et ludicrorum exercendi studiosae usum jucundum scripserat, in animum induxeram exspectare. Videram enim hujus libelli censuram in «Latinitatis» Vaticanae fasciculo, qui m. aprili hujus anni editus est. Chetrianus autem libellus perendie in manus traditus est. Sed quae ex eo speraveram, vana erant. Nam de punctorum ratione nihil habebat. Ideo res ex nostro ipsorum ingeniolo est repetenda. Atque bene fecisti, quod quattuor simul dicendi formulas proposuisti et hoc me pacto molestia et labore solvisti. Quod cum ita sit, mihi unum est munus inter ea quae proposuisti id, quod mea sententia optimum et aptissimum esse judicem, eligere. Omnia laudo proboque excepta junctura *ex adverso*, cui praeverbium *ad* substitui velim. En exemplum!:

Tuccio, cum sero ut instituerat certamini spectando adesset, interroganti, quo loco esset certamen, Antonius: «Quid ad me? In tempore veni!» —Tuccius: «Ei mihi! Ne sis morosus! Cedo quaeso». —Antonius: «Esto. Quatter Matritenses follem in Barcinonensium portam ingesserunt, hi ne semel quidem —malum!— in Matritensium». —Tuccius: «Placide, placide! Nondum sol occidit». —Io punctum! Euge, euge, primum, alterum, tertium, quartum Barcinonensibus. Em, jam exaequatio est. Pares sunt.— Sic pro Latini sermonis ratione res in universum enuntianda est.

At quomodo nuntii de pediludio radiophonici? Student radiophonici praecones brevitati, et quidni eundem imitemur morem? Quidni dicamus? «Matritenses adversus Barcinonenses: quattuor ad nullum aut zero; Phoenix Ludoviciportuensis adversus pediludii coetum Saropontanum: tria ad quattuor?» Eandem consuetudinem sequuntur diurnarii spatio parcendi causa in commentariis typis expressis, certaminum eventus sic evulgantes: «*Matr. - Barcel.*: 4 : 3. Phoenix Ludwigshafen - F C Saarbrücken: 3 : 4». Quae hoc loco satis elliptice scripta sunt, ea in hunc fere modum suppleri possunt: «Matritenses adversus Barcinonenses (adde *pugnantes*) quattuor ad tria» (adde *tulerunt* aut *reportaverunt puncta*). «Phoenix Ludoviciportuensis cum pediludii coetu Saropontano (adde *certans*) quattuor prae tribus» (subaudi *tulerunt* aut *reportaverunt puncta vel punctis*).

Quid tibi videtur?

Cura ut valeas, et me ama!

Ex recessu aestivo!

# Per Orbem

Acta Certaminis Capitolini V – Anno MDCCCCLIV peracti

A. d. XI Kal. Majas cum Urbis Natalis in aedibus Capitolinis celebraretur, exitus certaminis pervulgatus est, quod omnibus qui novae Latinitati student faventque Institutum Studii Romanis provehendis Summo rei publicae litterarum artiumque liberalium moderatore civitatisque Romanae praefecto auspiciis, jam quintum indixerat.

Certamen omnino duodequingenta petitores adierant, quadraginta quinque nimirum ex Italia, unus ex Gallia, unus ex Hispania, unus denique ex Americae Faederatis Provinciis. Hi opusculorum indices:

- 1 Duae philosophiae
- 2 Epistula ad lectorem ignotum
- 3 Sorex in urbem
- 4 De jucundis narratiunculis quae de monachis quibusdam dicuntur
- 5 Colonia civica Augusta Brixia
- 6 Curriculum vitae atque studiorum doctrinae
- 7 Preces novae
- 8 Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor
- 9 Libertas et amor omnino triumphant
- 10 Convivium
- 11 Disputatio
- 12 Quae in Padis alluvione acciderint
- 13 De Romanorum imperio quid scriptores Latini senserint
- 14 Num Latinus sermo grammaticorum legibus ac praeceptis sit comparandus
- 15 De Romae atque Athenarum insignibus rebus
- 16 Nox Panormitana
- 17 De iudicio et veritate
- 18 In maritimum
- 19 Sacrum iter
- 20 Rationes et res ex rationibus et rebus
- 21 Per vincere il tedio
- 22 De religione nostra
- 23 Senex cum sene
- 24 Somnium
- 25 Ulixis pater
- 26 Solivagus ille exactae aetatis magister
- 27 Reddidit amica quies
- 28 Itur ad astra
- 29 Patri suo filiulus absens in somniis adest
- 30 Parco ac tenui victu contentus ingluviem fuge
- 31 Non tantum senes laudatores sunt temporis acti
- 32 De Italicarum gentium condicionibus Langobardis dominantibus in Italia
- 33 Leonardus de meretricibus
- 34 Quod potui feci, faciant meliora potentes
- 35 De Liviani operis fortuna ratione atque significatione
- 36 Disputatio ambulatoria
- 37 De delatione
- 38 De pilarum ludis et de variis ludendi modis
- 39 Vetus Auximum
- 40 De rebus divinis contemplatio
- 41 Omnia vincit amor
- 42 Diocletianus Jovius et ejus in Christianos acta
- 43 De Padis adluvia
- 44 Nubes
- 45 Viget Latinitas
- 46 1) De Sancti Antonii miraculo; 2) Cuidam Silviae atricapillae
- 47 Aves, arbores, flores apud Joannem Pascoli poetam
- 48 Amicissimo cuidam de rebus civilibus epistula

Certamen erat de lupa Capitolina, quam Romanae civitati praefectus in argento, eximio arte, effingendam curaverat, de argenteo praeterea nummo Capitolinarum sedium imaginem in antica, nomen vero litterati viri in

altera parte praebente. Quibus praemiis. Summus litterarum artiumque liberalium moderator pecuniam insuper adici jusserat.

Quinque viri ad id ipsum delecti erant a Summo litterarum artiumque liberalium moderatore, a Romanae civitati praefecto, ab Instituti Romanis Studiis provehendis Praeside, ut quid petitores prosa oratione valerent, quid facultate et elegantia scribendi, judicarent, eorumque libellos per gradus distribuerent: Hyginus Funaioli et Honoratus Tescari, uterque Romanae Universitatis professor, Victoriŭs Genovesi, Sacrae Rituum Congregationis hymnographus et consultor, Quintus Tosatti, Instituti praeses, Guerrinus Pacitti in Romano Lyceo, quod Juli Caesaris nomine decoratur, litteris Latinis Graecisque tradendis doctor. Ex his Hyginus Funaioli praeses delectus est, ab actis vero Guerrinus Pacitti.

Quinquevirorum collegium de libellis haec Instituto Romanis Studiis Provehendis rettulit: petitores omnia fere solutae orationis genera eaque minime vulgaria esse periclitatos, cum quamlibet liceret materiam pertractare, prout a certaminis legibus facultas datur: alios luculenter de re publica, alios de philosophis praecise disceptavisse; certavisse alios orationibus, alios narratunculis, nonnullos denique fabellas liquido confectas sermone in certamen detulisse.

Quibus diligenter perlectis iisque collatis, cum admodum paucos omnino improbandos judicavisset, hos praesertim libellos quinqueviri dignos ut probarentur duxerunt (et tamen

omnes fere competitores optimis viribus decertare parati et instructi in certamen descenderant) utpote qui vel scriptorum ingeni praestantia, vel egregia quadam imaginandi vi, vel dicendi saltem peritia, ceteris antecellerent:

Colonia civica Augusta Brixia;  
De Romae atque Athenarum insignibus rebus;  
Disputatio;  
Disputatio ambulatoria;  
Itur ad astra;  
Nox Panormitana;  
Num Latinus sermo grammaticorum legibus ac praecipis sit comparandus;  
Omnia vincit amor;  
Parco ac tenui victu contentus Ingluviem fuge;  
Patri suo filiolus absens in somnis adest;  
Solvagus ille exactae aetatis magister;  
Somnium;  
Ulixis pater;  
Viget Latinitas;

Quorum libellorum cum virtutes studiose expendissent atque aestimassent illum praeter ceteros quinqueviri insignem ex communi consensu judicavere, qui scriptor, et subtili genere scribendi usus, multa eaque gravia tum remisit, tum vehementer, exquisita doctrina semper adhibita multaue rerum scientia, de rerum natura, generatim atque universe disceptaverat, idemque de sideribus se per caelum volventibus, de vetustissimo hominum genere ferino victu atque cultu vitam agente, nec non quo, denique, universus peteret mundus, quid, post orbem fato dilapsus, de hominum animo futurum esset.

*Nox Panormitana* huic libello index.

Secundum autem tenuisse locum libellus visus est qui res Romanas

attingens, exquisito minimeque vulgari orationis genere usus memoriam repetit, cladis a Romanis apud Hedsam acceptae.

At sensere iudices, quamquam eorum unus negavit in eandem se posse sententiam discedere, alterum esse libellum, qui proximus victorem urgeret quem ex aequo praeter ceteros optimum ducerent. Huic *Nubes* inscripserat scriptor eumque poëticis, quodam modo, fabulis frequentaverat, ut diceret quanta admiratione, quantoque afficerentur gaudio, qui in caelo mutatas nubium formas spectarent.

Quare —quo numquam ante discessum erat— ne non decoratus abiret, et illum iudices censuerunt argenteo nummo positaque pecunia donandum, quibus praemiis Institutum competitorem illum decorandum esse statuerat, qui de agone victori proximus discessisset.

Quinquevirorum collegium scidulis resignatis iisdem sententiis inscriptis ac libelli quos supra laudavimus primum victorem declaravit *Ignatium Poma* eloquentissimum virum qui libello cui *Nox Panormitana* certaverat; secundos vero ex aequo tulisse

*Aldum Bartolucci* et *Joachim Petrolli*, quorum alter libello cui index *Convivium* alter libello cui index *Nubes* in certamen descenderat.

Duplicem praeterea dignitatis gradum quinquevirorum collegium constituerat libellis quos probandos censuerat: alter eorum qui, cunctis sententiis, alter eorum qui sententiis fere omnibus honorifica decorandi essent mentione. In numero alterius gradus fuerunt:

*Aloysii Guercio* •Itur ad astra•  
*Josephi Morabito* •Ulixis pater•  
*Amadei Pacitti* •Omnia vincit amor•

litterarum ordini dispositi; in numero autem alterius gradus fuerunt, et illi litterarum ordine dispositi:

*Casparis Adragna* •De Romae atque Athenarum insignibus rebus•  
*Alberti Albertini*, •Colonia civica Augusta Brixia•.  
*Goodwini B. Beach* •Disputatio•  
*Hyacinti Gualtieri* •Disputatio ambulatória•  
*Paulini Menna* •Num Latinus sermo grammaticorum legibus ac praeceptis sit comparandus•  
*Josephi M. Mir* •Viget Latinitas•

GUERRINUS PACITTI  
*ab actis*

## NOX

*Casta Nox velum super arva stravit,  
 Clara de caelo micat orta stella,  
 Lintre procedit nitidas per undas  
 Luna bicorni.*

*Stat nemus vernum placido sopore;  
 Aura demulcet taciturna regna  
 Noctis afflatu; prope prata rivus  
 Murmura cantat.  
 Saarlouis, in Canisiano.*

*Somnio ridet rosa rubra dulci;  
 Carmen argutum canit alta pinus;  
 Turre longinqua gemebunda carmen  
 Noctua rorat.*

*Flexilem vibrat Philomela vocem,  
 Fortius tendit sua fila buxi,  
 Milies odae variat tenorem  
 Regia cantrix.  
 P. MANGEOT, S. J.*

# Bibliographia

A. KLOTZ. — *Scaenicorum Romanorum fragmenta. - I Tragicorum fragmenta.* (Adjuvantibus Ottone Seel et Ludovico Volt), Oldenbourg, Monachii, 1953.

A. Klotz viris eruditis opus magni ponderis praebet hoc primo volumine in quo *Scaenicorum Romanorum fragmenta* continentur; in eo enim avare singulares illas veterum Tragicorum reliquias, temporum hominumque incuria hinc inde disiectas in unum colligit atque componit. Videsis quae hic primus liber fragmenta complectatur: *Fragmenta Tragoediarum*: L. Andronicus, Naevius, Ennius, Pacuvius, Accius, tragici minores, Poetae incerti recensentur. Deinde *Praetextarum fragmenta*: Naevii, Ennii, Pacuvii, Accii colliguntur.

Quam opportunum quamque necessarium id opus fuerit, prae omnium oculis patet. Cum enim ex altera parte quas Ribbeckius veterum scaenicorum fragmentorum editiones paraverat, antiquiores sint quam ut facile inveniri possint, ex altera vero parte cum post annos plus quam quinquaginta multa nova atque utilia reperta sint quae vetera et retractare et complere cogant, opportune recteque ab Auctore denuo eduntur. Quod quidem opus A. Klotz et suscepit et apte explicavit, aliquibus codicibus usus quibus nonnulla fragmenta antea non nota neque alibi tradita addere potuit.

In praefatione presse aliqua proponit de re metrica et de hiatu apud veteres scaenicos.

Haec omnia «collectionem» Klotzii opus constituunt doctis utilissimum.

A. VIVES, C. M. F. — *Diccionario de bolsillo latino-español, español-latino*, 2.<sup>a</sup> ed., Cocalsa, Madrid, 1954 (30 ptas.)

Anno 1945 primum hic parvulus mole liber vulgatus est, tot complectens verba tam minimo spatio qui et facile

ad manum semper haberi potest et in crumena contineri. Anno 1954 vertente, denuo editus est, iisdem proprietatibus ornatus atque abhinc decem annos. «Vocabulorum sensus presse et breviter exponuntur, formae difficilliores atque irregulares sub vocibus notantur, interdum et verborum regimen atque exempla prostant, opusculum etiam quibusdam decoratur picturis. Mole constat minima; nihilominus typorum perspicuitas, facilem atque jucundam reddit lectionem» Haec scribebat Tristianus in PALAESTRA, an. XVI, pg. 150 (1946).

Quibus adde opus retractatum et emendatum esse a Patre F. Alba, C. M. F., qui hanc alteram editionem studiose paravit et suscepit et prospere evulgavit.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

HENRY BARDON. — *La littérature latine inconnue*. Librairie C. Klincksieck, Paris, 1952.

Opus est cum cl. hujus operis scriptore affirmare litteras Latinas fere ignotas nobis esse; etenim multa quae Romani auctores scripserunt, temporum vicissitudinibus evanuerunt, alia manca tantum et mutila ad nos pervenerunt, ita ut maximae partis Romanorum scriptorum — eorum praecipue qui ante Ciceronem scripserunt —, nomina tantum apud nos exstant.

Scriptor in libro, quem hodie legendum proponimus, hoc vitium tollere intendit, siquidem in duabus partibus in quas dividitur diffuse de omnibus illis ignotis auctoribus agit; in prima nempe a principio litterarum usque ad Ciceronis tempora, in secunda vero de Ciceronis aequalibus.

Opus omni ex parte perfectum, quo ad magnam copiam, ut diximus, auctores in medium proferuntur, et res Romanorum clare atque eruditissime pertractantur.

Utinam brevi ad nos perveniat alterum hujus magni operis volumen!

JESUS ASPA, C. M. F.

D. DE BIASI - P. ALIA. — *Dizionario fraseologico latino*. «La Scienza» - Editrice in Roma, 1951.

Hoc «vocabularium phraseologicum» amplius tria milia locutionum Italicarum continet quibus Ciceronianae pariter dictiones respondent. In fine quoque operis est perbrevis de stilistica ratione latine scribendi appendix.

Hujusmodi locutiones quae ex optimis Ciceronis operibus sunt excerpta, magno quidem erunt adjumento cum his qui primis Latinitatis elementis imbuuntur, tum his qui vel cathedras Scholae quoque Mediae petunt.

Omnibus ergo qui in latine dicendo et scribendo se exercent, hoc «phraseologicum vocabularium» clar. Prof. De Biasi - P. Alia, enixe commendamus

P. R. MENDIZÁBAL, S. J. — *Colección de textos latinos para el bachiller*, Editorial El Mensajero del Corazón de Jesús, Bilbao.

Perutilem hanc textuum collectionem magistris et alumnis P. Mendizábal offert in tres series distributam. Quarum prima scriptores faciliores captu complectitur: 1. Epitome Historiae Sacrae (LHOMOND) vol. I; 2. Epitome Historiae Sacrae (LHOMOND), vol. II; 3. Epitome Mythologiae (P. JUVENCI), vol. I; 4. Nepotis, Caesaris, Curtii excerpta; 5. Epitome Mythologiae (P. JUVENCI), vol. II. Ad primam seriem quod attinet, puero opus vocabulario non est, nam copia non parva notularum in fine cujusque libelli suppeditatur.

In secundam seriem veniunt classici scriptores: 1-3 vol. De viris illustribus (C. NEPOTIS); 4-11 vol. Commentarii de Bello Gallico (C. Caesaris). Nunc vero alumnus vocabularium manu tractare incipit, saltem ut verba quae notulis non indigent, ipse inquirat. Saepe textus

chartis geographicis picturisque illustratur

Demum tertia series notulis omnino vacat. Eisdem auctores atque secunda continet; plures tamen libri in unum tantum volumen rediguntur. Et utilissimum habemus tum ut ab alumnis praesertim in superioribus scholis textus Latini sine ullo adminiculo enodentur et repetantur, tum ut in periculis quid quisque discipulorum suis viribus valeat, ostendatur.

M MOLINA, C. M. F.

F. CAPELLO. — *Historia de la Literatura Griega*. T. III, Ed «Cont», Buenos Aires, 1947; pg. 542.

En tibi, lector, opus et numero pagellarum et accurata pertractatione praestans Graecarumque Litterarum studiosis aptissimum. Hoc volumen magnis pollet virtutibus, in primis vero quod in eo nitida atque scientifica ratione doctrina uniuscujusque auctoris exponitur.

Auctor opus in quattuor partes distribuit, quarum in prima (pp. 1-81) de oratione Graeca luculenter agit: de ejus, scilicet, origine seu de conditionibus deliberativis (ἀγοραὶ βουλευτικοί) et de Coracis et Tisiae praecipuis; de sophistis et oratoribus, in quibus primum locum — et maximum pagellarum numerum — Demosthenes obtinet.

In altera parte (pp. 81-103) pristina poësis religiosa summatim breviterque proponitur.

In parte autem tertia (103-197) accurate de Graecae philosophiae historia auctor disserit et fuse et comparative disertaque commentatione Socratis, Platonis, Aristotelis philosophica systemata evoluit. Sed praecipue Aristotelis philosophiam tradit; ita, de Logica deque praecipuis vocibus in eam a sermone in tribunalibus usitato derivatis: (αἰτία = causa; κρίσις = iudicium; κατηγορία = imputatio); de Theodicea et de principio in Aristotelis philosophia maximo, sci-



licet; Deum et objectum et subjectum ejusdem esse (νόησις νοήσεως).

Quarta denique pars longior (pp. 197-541) atque «*Varia*» ab Auctore nuncupata, de vita, patria praesertim est, de operibus Homeri (217-287), Hesiodi (288-341), ac tandem de Pindari poetica (415-465) Omnia fuse, ex dictis, ac diligentissime evoluta.

Praemittuntur verba aliqua clari viri Henrici François totumque praestantissimum opus indice accuratissimo nominum et rerum finitur.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

SINUÉS. — *Cucullina Rubea. - Pollicaricus*. Sta Tecla, 9, Barcelona, 1953

Notissimas has fabulas in Latinum sermonem convertit auctor ad usum puerorum qui in primis Latinitatis scholis instituuntur. Aptissimum ad hunc finem libellum judicamus, tum ex ipsa fabularum selectione, tum ex facili atque amoena interpretatione. In fine vocabularium praecipuarum ac difficillimarum vocum apponitur. Optima est etiam charta et typographia.

JESUS ASPA, C. M. F.

EGNATIUS CAZZANIGA — *S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi De Virginitate liber unus*. In Aedibus Paraviae, Augusti Taurinorum, 1954.

C. MARCHESI. — *Arnobii Adversus Nationes Libri VII 2<sup>a</sup> ed*, In Aedibus Paraviae, 1953

Haec duo opera, quae Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum augent ac ditant, scripta S. Ambrosii *De Virginitate* et Arnobii *Adversus Nationes* juxta optimos codices nobis praebent, Aedes Paravianae id studiosissime appetunt, ut antiquitatis opera ad rectam probatamque Codicum fidem typis expriment; quod quidem in his libris excudendis editores plane assecutos esse censemus.

Editionem enim pulchram quamvis simplicem, cum partitionibus opportunis variisque lectionibus Codicum sapientissimis viris tradunt; in praefatione, quae ad rationem totius operis spectant, probato iudicio referunt,

J. COLIN. — *Pâture d'esclave: ambac<ti> pascua* (APULÉE, *Metam.*, II, 7, 2) *Extrait de Latomus*, T. XII (1953) fasc. 3., Bruxelles, 1953.

Nova sunt tentamina explicandi desperati loci Apuleji (*Metam.*, II, 7, 2) Auctor +*ambacupascuae*+, quae tot commentaria in se contulerunt, tantum pascua mancipiorum, sive pascua ambacti esse probat. Legendum itaque est non «*ambacupascuae*», sed «*ambacti pascuae*»; hoc est: *esca* quam Fottis ancilla *servis* parat.

JACOBUS GARCÍA, C. M. F.

C. ROSSET. — *Facta dictaque memorabilia*. Série B. Les Éditions de l'École, Paris.

Cimus Prof. C. Rosset, quae est amoenitate in exornandis libellis ad Latinam puerorum institutionem, alto nos codicillo donavit, cui index: *Facta dictaque memorabilia*.

Multa enim, ut illius verbis utar, nobis ab antiquis scriptoribus tradita sunt facta aut dicta memorabilia quae vel jocosa vel seria, etiam nunc in sermone saepe proferuntur. Quae omnia e Cicerone, Valerio Maximo, Aulo Gellio, Seneca, Plinio, T. Livio aliisque scriptoribus excerpsit Prof. Rosset pueris jucunde narranda eorumque animi captui accommodata.

Hic parvus liber seriei B hujus collectionis: *Doceo narrando - Discas legendo*, quo cl. Prof. pueros in primis syntaxeos Latinae elementis initiare contendit, nemini erit dubium quin et voluptatem et fructum eis sit allaturus.

M. MOLINA, C. M. F.

# Index rerum atque scriptorum

a. 1953 et 1954

## Bibliographia

1953. — *Certamen Capitolinum II.* - MCMLI, 137, 18. — *Crusius*, Iniciación en la Métrica Latina, 137, 18. — *Feemster Jashemski*, The Origins and History of the Proconsular and the Proprætorian Imperium to 27 B. C., 137, 18. — *Eug. Droulers*, Iconologie. Dictionnaire des attributs, 137, 19. — *P. Flaccaro*, Italia ante bellum sociale, 137, 19. — *F. Lerin Gabin*, Resumen de la Historia de la Filosofía, 137, 19. — *Weis*, Jocosos, 138, 37. — *A. Magariños*, Cicerón, 138, 37. — *T. de la A. Recio*, Tito Livio, 138, 37. — *M. Grande Ramos*, Molière, 138, 37. — *S. Motta*, Il ripetitore delle Favole di Fedro, 138, 38. — *Antonio Tovar*, Virgilio Eglogas, 138, 38. — *W. Van Rijckevorsel*, S. J., Exercices Latins, 138, 38. — *L. Ribera*, C. M. F., Misal, 138, 38. — *C. Oddone*, Temi graduali di Sintassi, 138, 39. — *Certamen Capitolinum III*, MDCCCCLII, 138, 39. — *R. Torres Quintero*, Bibliografía de Rufino J. Cuervo, 138, 39. — *G. Schwab*, Las más bellas leyendas de la Antigüedad Clásica, 139, 58. — *M. Lavarenne*, Prudence, IV, 139, 58. — *Charles Rosset*, Cahier de Grammaire Latine, 139, 58. — *Max Niedermann*, Historische Lautlehre des Lateinischen, 139, 59. — *S. Gili Gaya*, Compendios Vox, 139, 59. — *G. Santos*, S. J., Florilegio Latino, 139, 59. — *Herman Steuding*, Mitología Griega y Romana, 139, 60. — *Paoli - Pohl*, Primus liber, 139, 60. — *J. E. Arciniegas*, Las Odas de Horacio, 140, 77. — *Francis Vian*, La guerre des Géants, 140, 77. — *Ch. Aimond*, Rome et son Empire, 140, 78. — *L. Creus Vidal*, Le problème de l'évidence de la religion, 140, 78. — *L. Creus Vidal*, Interrogantes sobre el continuo y el infinito matemático, 140, 78. — La seda en la Liturgia, 140, 78. — *Bruno Gentili*, Metrica Greca Arcaica, 140, 78. — *Vox*, Diccionario ilustrado de la Lengua Española 140, 79. — *R. Hakamies*, Étude sur l'origine et l'évolution du diminutif latin, 140, 79. — *Klimke - Colomer*, Historia de la Filosofía, 140, 79. — *S. Jannaccone*, Recherches sur les éléments grecs du vocabulaire latin de l'empire, 141, 97. — *M. Antonio Caro*, «Poesías Latinas», «Versiones Latinas», 141, 97. — *Archer Woodfort*, Obras de Juan de Cueto, 141, 98. — *M. P. Nilsson*, Historia de la Religiosidad Griega, 141, 98. — *J. Motta*, La Anábasis, 141, 99. — *J. Laliberté*, C. S. R., L'Éternel Contemporain dans les adieux d'Andromaque et d'Hector, 141, 99. — *Colección Gredos Bilingües*, 141, 99. — *Gredos*, Textos Clásicos Anotados, 142, 118. — *Fr. Blat*, Précis de Syntaxe Latine, 142, 118. — *Fr. della Corte*, Due Studi Catulliani, 142, 119. — *Ant. D'Elia*, S. J., Latinorum Litterarum Historia, 142, 119. — *V. Paladini*, Μελετήματα, 142, 119. — *M. Fornaciari*, Latinorum, 142, 120. — *C. Rosset*, Argonautae, 142, 120.
1954. — *M. Lavarenne*, Douze Chansons Latines, 143, 122. — *Egn. Cazzaniga*, Incerti auctoris - De Lapsu Susannae, 143, 122. — *L. Moulinier*, Le pur et l'impur dans la pensée des grecs, 143, 139. — *M. Bizos*, Syntaxe Grecque, 143, 139. — *T. Henrique Maurer*, A Morfologia e a Sintaxe do Genitivo Latino, 143, 140. — *F. Cahour*, Correct English, 143, 140. — *J. Echavé - Sustaeta*, Minerva IV, Primer libro del Verso Latino, 144, 158. — *P. Crouzet*, Nouvelle grammaire latine, 144, 158. — *Crouzet-Berthet*, Nouvelle méthode latine, 144, 158. — *Cicéron*, discours pour Marcellus, pour Ligarius, pour le Roi Déjotarus, 144, 158. — *Restrepo*, S. J., Diseño de Semántica general, 144, 159. — *M. Martín Peña*, Cicerón pro Murena, 144, 159. — *T. Macchi Plauti*, Prudens, 144, 160. — *L. Valmaggì - N. Vianello*, M. Valerii Martialis «Epigrammaton», 144, 160. — *P. Richard*, Virgile auter gai, 144, 160. — *Istituto di Glottologia dell'Università di Bologna*, Rendiconti VI (1952), 144, 160. — *C. Tagliavini*, Le origini delle lingue neolatine, 145, 162. — *C. Schwieder*, Latine loquor, 145, 162. — *A. Penna*, San Jerónimo, 145, 179. — *E. Vetter*, Handbuch der Italischen Dialekte, 145, 179. — *H. Krahe*, Linguística indoeuropea, 146, 189. — *J. Hubschmid*, Sardischen Studien, 146, 198. — *C. Boselli*, Dizionario Spagnolo-Italiano, 146, 198. — *Calpurnii et Nemesiani Bucolica*, 146, 199. — *Cazzaniga*, La tradizione manoscritta «De lapsu Susannae», 146, 199. — *Echavé-Sustaeta*, Vocabulario básico, 146, 199. —

B. Migliorini, *Che cos'è un Vocabulario?*, 146, 200. — *Schutter*, *Quibus annis comoediae Plautinae primum actae sint quaeritur*, 146, 200. — *Ernout*, *Aspects du vocabulaire latin*, 147, 218. — *Walde-Hofmann*, *Lateinisches etymologisches Wörterbuch*, 147, 218. — *Lázaro Carreter*, *Diccionario de términos filológicos*, 147, 218. — *Jiménez de Quesada*, *Antijovio*, 147, 219. — *Springhetti*, *Institutiones stilii Latini*, 147, 219. — *Caiati*, *Vita di Virgilio*, 147, 219. — *Hernando*, *Vademecum litúrgico*, 147, 219. — *Rosset*, *Traité d'analyse*, 147, 220. — *Guillén*, *M. T. Ciceronis Paradoxa*, 147, 220. — *A. Klotz*, *Scaeniorum Romanorum fragmenta - I Tragicorum fragmenta*, 148, 235. — *A. Vives*, *Diccionario latino-español, español-latino*, 148, 235. — *H. Bardon*, *La litterature latine inconnue*, 148, 235. — *D. De Biasi - P. Alia*, *Dizionario fraseológico latino*, 148, 236. — *P. Mendizábal*, *Colección de textos latinos para el bachiller*, 148, 236. — *F. Capello*, *Historia de la Literatura Griega*, 148, 236. — *Sinués*, *Cucullina Rubea - Polliticarius*, 148, 237. — *E. Cazzaniga*, *S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi De Virginitate liber unus*. — *C. Marchesi*, *Arnobii Adversus Nationes Libri VII*, 148, 237. — *J. Colin*, *Pature d'esclave: ambac[ti] pasqua*, 148, 237. — *C. Rosset*, *Facta dictaque memorabilia*, 148, 237.

#### Nova et Vetera

1953. — *I. González*, *Phonographium*, 137, 9. — *Holzer*, *Nomenclatura vestiaría*, 137, 15. — *González*, *Chronometrum*, 138, 80. — *Holzer*, *De re athletica*, 139, 48. — *González*, *Chronometrum (II)*, 140, 70. — *Sansegundo*, *De pediludio*, 141, 88. — *González*, *Janua*, 141, 91; *Cultus*, 142, 105. — *Sansegundo*, *Colloquium in campo pediludii*, 142, 109.

1954. — *I. González*, *Machina photographica*, 143, 28. — *Holzer*, *Iterum de pediludio*, 143, 134. — *González*, *Mare*, 144, 148. — *Holzer*, *De variis pila ludendi generibus*, 144, 146; 145, 166. — *González*, *Mons*, 145, 167. — *González*, *Flos*, 146, 190; *Mundus*, 147, 206; *Barba*, 148, 227. — *Holzer*, *De malleorum ludo*, 147, 204. — *Sansegundo*, *De radiophonto*, 147, 212.

#### Grammatica

1953. — *Mir*, *Aequivocus-untivocus*, 141, 84. — *Orth*, *Exempla conjecturarum*, 142, 103.

1954. — *Jiménez*, *De licentis poetis apud Horatium*, 143, 123.

#### Stilistica

1953. — *Mir*, *Cursus gymnasticus: El Lazarillo de Tormes*, 137, 13. — *Descendimiento de Cristo a los infiernos (GRANADA)*, 139, 54. — *Comida en casa del licenciado Cabrera (QUEVEDO)*, 140, 74; 142, 113.

1954. — *Molina*, *Cursus gymnasticus*, 144, 155. — *Aspa*, *Id.*, 143, 132; 145, 164. — *Mir*, *Una carta de Sta. Teresa*, 147, 209.

#### Litterae

1953. — *Holzer*, *De librorum periodicorum titulis Latine interpretandis*, 137, 3; 138, 33. — *Sansegundo*, *Romanorum institutiones: De Religione Romanorum*, 137, 5; *De diis Romanorum propriis*, 139, 45. — *J. Brenach*, *Philosophia animorum medicina apud Ciceronem*, 140, 63. — *Avenarius*, *Per Michaëlis Archangelit manum*, 140, 66.

1954. — *Orth*, *De Callisthene*, 144, 143. — *Avenarius*, *Curtius puer mavult gaudere matrem quam sese*, 144, 151. — *Orth*, *De Callisthene*, 145, 163. — *Aspa*, *Beati Damasi Summi Pontificis epistulae*, 145, 172. — *Sansegundo*, *De hyperbole apud aureos Latinitatis auctores*, 146, 183.

#### Philologica

1953. — *Mir*, *Elogium an ellogium?*, 138, 23. — *Orth*, *Ad Demetrium, scriptorem libri «de elocutione»*, 138, 26. — *Appendix ad Demetrium «de elocutione»*, 139, 51; *Nova de Demetrio*, 140, 65; *Ad Catonis librum «de agri cultura»*, 141, 84.

1954. — *Orth*, *Ad Ciceronis librum «de oratore»*, 143, 138; *Lucretiana 1954*, 146, 187; 147, 203; *Ciceroniana*, 148, 223.

#### Historica

1953. — *A. Alzola*, *Cursus aestivus Salmanticensis*, 137, 2. — *J. Jiménez*, *Cl. vir Eustachius Echauri vita functus*, 139, 43.

1954. — *G. Pacitti*, *De prosae orationis Certamine IV (MDCCCCLII) quod a Capitolio nuncupatur*, 145, 170; *Certamen Capitolinum V (MDCCCCLIII)*, 145, 171.

#### Poëtica

1953. — *G. Raimundus*, *Ad Simonem*, 137, 2; *In Silvium*, 138, 28. — *A. Vicentini*, *Ad*

Egnatium, 140, 62. — *Lucesole*, Rosa candida et Iris, 140, 73. — *Mangeot*, Machina vectrix, 141, 86; Siste, viator, 141, 87. — *C. Sanz*, Firmino Ae. Lafitte, 142, 108. — *Mangeot*, Rosa rubra, 142, 117.

1954. — *Mangeot*. Bonus Latro, 144, 142. — *Fr. E. J. Martin*. Divo Augustino, 144, 153. — *Mangeot*, Apis, 143, 133. — *P. Patricius*, Virgini Mariae de Carmelo, 148, 226. — *P. Mangeot*, S. J., Nox, 148, 234

### Fabellae

1953. — *Sarmiento*, Albius Longus somnia sibi fingit, 138, 36; 139, 53; 141, 96.

1954. — *Sarmiento*, Albius..., 143, 137; 146, 197.

### Commercium epistulare

1953. — *Avenarius - Mir*, 137, 16; *Mir - Avenario*, 137, 17; *Mir - Bacchi*, 138, 29; *Tondini - Mir*, 138, 29; *Avenarius - Mir*, 140, 76; *Censorinus - alumno suo*, 141, 95; *Censorinus*, Curiosis amicis responsa dantur, 142, 115.

1954. — *Avenarius - Mir*, 144, 154; *Mir - Avenario*, 144, 154; *Josephus - Josepho*, 143, 135; *Josepho suo - Josephus M.<sup>a</sup>*, 143, 136; *Avenarius - Mirio*, 145, 174; *Avenarius - Joseph Xylandro gymnasiarcho*, 145, 176; *Mir - Holzer*, 145, 176; *Avenario - Holzer*, 145, 177; *amico-amicus Josephus*, 145, 178. — *Avenarius - Xylandro*, *Xylander - Avenario*, 146, 194. — *Pacitti - Mir*, *Lyne - Mir*, 47, 217. — *Sansegundo - Holzer*, 148, 230.

### Epistolia soluta

1953. — 137, 20; 140, 76.

### Per Orbem

1953. — *Molina*, Clarissimi hospites, Viri qui e vita cesserunt, Congressus de rebus philologis, Lucubrationes, 138, 22. — *Js. Roca*, Latinitas, 139, 56. — *Palaesticus*, -Studi Romani, Congressus Internationalis Linguisticae Romanicae, 139, 57. — *Censorinus*, Certamen Capitolinum IV; Curricula aestiva; Supremus militiae magister Eisenhower lingua Latina loquitur; Schola Latina Lemovici, 141, 94.

1954. — Certamen Vaticanum; Institutum S. Clarae creatur, 143, 131. — *Aspa*, Societas Hisp studii classicis provehendis, 146, 196; Novi commentarii, Exitus certaminum, C. Capitolini opuscula a. 1953, 147, 216. — *Pacitti*, Acta Certaminis Capitolini V, 1954, 148, 230.

### Exercitationes scholares

1953. — *Forcano*, 137, 20; *Roura*, 138, 40; *Alonso*, 140, 70; *Roura*, 141, 82; *Monreal*, 142, 102.

### Curiosa et jocosa

1953. — *Scholastici Celsonenses*, 141, 100; *Abad*, 141, 100; 142, 102. — *Sch. Celsonenses*, 144, 157.

1954. — *Collell*, 146, 182. — *Censorinus*, 148, 222.

### Colloquia

1954. — *Sarmiento*, De re familiari, 146, 183.

Commentarius noster ab ineunte anno MCMLV  
hac nova ratione edetur:

# PALAESTRALATINA

trimestres litterarum Latinarum commentarii

Barcinone, in Hispania edendi.

Singuli fasciculi sexagenarum quaternarum erunt paginarum.

Cum propediem prognosticam paginam (*anuncio*) legeritis, socii et lectores, de nova edendae PALAESTRAE LATINAE forma profecto gaudebitis.

Ordinarii ac Superiorum licentia

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.